

quo tempore unus modius aestimabatur 30. crucigeris, addita conditione, ut ad finem Junii futuri anni in natura, aut in pecunia restituantur, quo tempore valor modii 15. crucigeris major erit. An hæc conventio usuraria est?

ꝑ. Si Claudius ex mutuo intendit aliquid lucrum, haud dubie se reum facit usuræ. Restitudo autem intentionis ex sequentibus desumi potest: 1. Si jam firmiter constituit non vendere triticum suum ante mensem Junium. 2. Si semper paratus est recipere a Cæsario mutuo datos decem modios, quocumque tempore eos restituere velit. 3. Si non determinat certum tempus, quo triticum carius venit, nisi ad evitandum damnum proprium. Ex quo sequitur, quod possim amico mutuum dare mense Martio vel Aprili modum frumenti ea conditione, ut mense Augusto vel Septembri modium restituat cum dimidio, si certum aut saltem valde probabile est, mense Augusto aut Septembri sesqui modium haud plus valiturum ac unicum modium mense Martio aut Aprili; idque ad evitandum damnum proprium. *Pontas.*

CASUS XVIII. Macæus Joanni 50. florenorum mutuum petenti declarat, se pecuniam suam in emendo frumento collocaturum, ut inde lucrum percipiat; hinc se illi quidem mutuum daturum ad præfixum tempus, sed ea conditione, ut chirographum conficiat, quo profiteatur, se tantum frumenti debere Macæo, quantum juxta currentem ad lapsum termini valorem correspondet summæ 50. florenorum. An hic contractus non est usurarius?

ꝑ. Si Macæus non sincere proposuit pecuniam suam ad negotiationem frumentariam adhibere, commisit usuram nomine mutui palliatam; immo etsi propositum ipsius fuerit sincerum, usuram tamen non effugiet, si tempus solutionis præfixit, quo certus est, se ex dato mutuo lucraturum. Excipiendus autem casus, quo Macæus absolute constitisset emere frumentum, eoquod leviori pretio staret, illudque servare v.g. usque ad Pentecosten, quo tempore illud ampliori pretio vendere posset: in hoc enim casu jure petit compensationem damni, quod mutuum dando incurrit. *Pontas.*

CASUS XIX. Irenæus civis Massiliensis ficuum commercium habens dedit Bernardo viginti modios ficuum hac conditione, ut tempore messis decem modios tritici, & decem modios siliginis reddat. An in hoc casu usura intervenit, posito quod modius siliginis quindecim crucigeros valeat, modius vero ficuum tantum decem crucigeros?

ꝑ. Est usurarium commercium; quia mutuanus exigit a mutuuario aliquid ultra sortem principalem. Excusari tamen pos.

set Irenæus ab usura, si valor ejusmodi rerum est variabilis, & consequenter certus non est, modium siliginis eo tempore carius vendi quam modium ficuum: in hoc enim casu commercium istud non foret usurarium. *Pontas.*

CASUS XX. Manlius certam quantitatem tritici, cujus currens pretium erat 70. floreni, mense Majo numerata pecunia emit a Sempronio 60. florenis, traditione primum mense Octobri facienda. Distulit autem triticum petere usque ad mensem Januarium, quo tempore illud vendidit Cajo pro 80. florenis, cui etiam a Sempronio traditum est. An non in hac negotiatione usura intervenit?

ꝑ. Lucrum hoc Manlius absque omni usura percipere potuit: frumentum enim, quod mense Majo 70. florenis valebat, potuit juste emere 60. florenis; cum primum mense Octobri tradi deberet, quo tempore ordinarie haud plus aestimatur. Sic quoque absque injustitia potuit illud mense Januario vendere 80. florenis, utpote pretio currente. *Pontas.*

CASUS XXI. Paschasius mutat Jacobo 500. florenos hac conditione, ut, si Jacobus ante quinquennium moriatur, ipse & ejus hæredes non teneantur ad solutionem dictæ summæ; si vero ante quinquennium non moriatur, tunc teneantur ad solutionem dupli. An hic contractus usurarius est?

ꝑ. Juxta Navarrum Consil. 29. de Usur. n. 4. usurarius est; quia absolute dici non potest, contractum hunc esse gratuitum, ac vix non idem foret, ac si Paschasius homini pauperi daret mutuum hac conditione, ut si pauper ille intra quinque vel sex annos fieret dives, duplum restituere teneatur; quæ conventio aperte foret usuraria. *Pontas.*

CASUS XXII. Gomefius Procurator Parlamenti neptem suam Blandinam, cui curta supellex, Balduino primario Parlamenti scribæ, in matrimonio collocaturus, in dotem dicto Balduino offert suum officium Procuratoris, quod redditus annuos 5000. florenos ipsi affert, ea tamen conditione, ut Balduinus ad dies vitæ suæ det sibi pensionem annuam 250. florenorum, & si hanc summam solvere recusaturus sit, in pristinum officium regressum sit petiturus. An iste contractus injustus, & usurarius est?

ꝑ. In præsentis casu non datur usura: non enim est contractus mutui, sed vera donatio officii, cujus Balduinus fit proprietarius; hinc Gomefius non potest obligare Balduinum ad restitutionem donati officii, si pensionem, de qua inter ipsos conventum est, singulis annis persolvat. *Pontas.*

CASUS XXIII. Alanus 600. florenis indigens rogat Philippum, ut sibi hanc mutuet summam, simulque ipsi pro securitate summæ oppignorat quatuor jugera silvæ caduæ, *Dist. Cas. Conf. Tom. III. X x*
e qua

e qua pro necessitate domestica sumere possit ligna. An in ista oppignoratione datur usura?

3. Est usuraria hæc oppignoratio; nam cum Alanus pro securitate mutui dederit silvam, Philippus non potest absque usura pro necessitate sua domestica e dicta silva sumere ligna, nisi de sorte principali valorem cæsorum lignorum deducat. *Pontas.*

NOTA. Si valor lignorum ad usus domesticos non excedit valorem census annui, pendendi iusto titulo lucri cessantis, damni emergentis, vel ob periculum sortis, non intervenit usura.

CASUS XXIV. Amabil's mutuos recipit 500. florenos a Thimoleone ad annum, & pro majori securitate mutui oppignorat ipsi feudum, quod ab eodem Thimoleone habet. An Thimoleon tenetur in conscientia, dum constituto solutionis termino dictos 500. florenos recipit, fructus ex oppignorato feudo perceptos computare in sortem; & si hoc negligat, an usuræ reus est?

3. Thimoleon non tenetur perceptos ex dicto feudo fructus computare in sortem principalem, cum hujus feudi fructus titulo dominii jam ad ipsum pertineant. Ratio est; quia vasallus feudum possidet ea conditione, ut domino feudi certa quædam servitia exhibeat, quæ ejusdem valoris cum feudo æstimanda sunt; vasallus igitur eo tempore, quo dominus feudum possidet, immunus est a dictis servitiis. In nocentius III. cap. *Infirmatione* 1. lib. 3. t. 20. Interim tamen si fructus a Thimoleone percepti excederent servitia, teneretur excessum deducere a summa principali. *Pontas.*

CASUS XXV. Epipodius mutuavit Lucio 200. imperiales ad biennium, & ab eo in cautionem accepit lectum & duodecim sedilia, quibus etiam cum consensu Lucii usus est. An Epipodius pretium servitii tenetur deducere a sorte principali? & si hoc negligat, an se reum facit usuræ?

3. Idem dicendum de rebus ejusmodi mobilibus, ac de fundo: usus enim talium rerum est pretio æstimabilis; hinc Epipodius tenetur deducere pretium usus harum rerum a sorte principali. *Pontas.*

CASUS XXVI. Florentius 15000. florenos in parata pecunia habet, & hanc summam impendere cogitat ad reparationem suæ domus, quæ alias nemini locari posset; ad instantiam tamen Caii, qui vicino suo 10000. imperiales debet, & si hanc ipsi summam non solvat, domum suam plus offerenti tradendam timet, mutuam dedit Cajo prædictam summam 15000. florenorum hac addita conditione, ut præter restitutionem summæ principalis compenset lucrum, quod

percipere potuisset ex dicta summa, si eam impendisset ad reparationem suæ domus, ac postea alteri locasset. An Florentius aliquid ultra sortem principalem exigendo usuræ reus est?

3. Certum est, Florentium in proposito casu absque usura exigere potuisse justam compensationem: damnum enim emergens sufficiens est titulus, vi cuius ultra sortem principalem aliquid exigi possit. *Pontas.*

CASUS XXVII. Willibaldus mercator mutuavit Guillelmo 500. florenos ad unum annum: verum elapso semestri Willibaldus passus est damnum 2500. florenorum ob defectum mutuo datæ pecuniæ. An Guillelmus tenetur reparare damnum?

3. Guillelmus non tenetur reparare damnum; nam mutuarius non tenetur ad ullam compensationem mutuanti præstandam, nisi uterque de hoc convenerint tempore, quo contractus mutui factus est, ut mutuatario liberum sit talem conditionem acceptare, aut recusare. Consequenter Willibaldus sibi ipsi imputet damnum, eo quod tam imprudenter mutuarit pecuniam suam Guillelmo. Hæc est doctrina S. Thomæ q. 13. de malo, art. 4. ad 14. *Pontas.*

NOTA. Cum periculum sortis hoc tempore sit frequens, & summæ mutuo datæ statim incipiant fieri minoris valoris, ita, ut pro centum vix darentur 95., recte pro titulo auctarii assignatur periculum sortis.

CASUS XXVIII. Lævius mercator mutat Danieli 1000. imperiales, quos unicos habet, & quidem jam destinatos ad emendas merces, e quibus probabilitus acquirere posset lucrum 7. aut octo florenorum pro centum; propterea etiam a Daniele exigit ultra sortem capitalem idem lucrum. An Lævius tuta conscientia id exigere potest? Num etiam id exigere potest, si actu ipsi occasio non daretur taliter pecuniam suam elocandi, sed solum speraret, emerfuram talem occasionem?

3. Lævius absque usura quidquam accipere potest ultra sortem principalem: lucrum enim cessans sufficiens ac legitimus titulus est mutuanti quidpiam ultra sortem principalem exigendi, sub his tamen tribus conditionibus: 1. Si pecunia mutuo data vel danda collocata, aut certe collocanda est in commercio: secus enim vere dici non posset, mutuanti ratione mutui lucrum cessasse; ac consequenter lucrum perceptum simpliciter proveniret ex mutuo, quod usurarium est. 2. Si mercatori mutuanti præter pecuniam in negotiationem expositam alia pecunia non superest, quam mutuam

dare posset : si enim ejusmodi pecunia ad negotiationem non destinata foret residua, denuo verum non esset, quod ipsi propter mutuum lucrum cesset. 3. Si spes ex pecunia mutuo data vel danda lucranda non mere est possibilis & remota, sed probabilis ac proxima : non enim sufficit, quod absolute quis possit lucrari ex pecunia in negotiationem exposita, sed requiritur spes probabilis ac gravibus rationibus innixa, quod lucraturus sit, si pecuniam suam ad negotiationem applicet. Præprimis hic notandum, quod licet lucrum cessans sit distinctum a damno emergente actuali, non separatur tamen a damno probabili ; alias non esset titulus sufficiens exigendi quidquam ultra sortem principalem. D. Thomas 2. 2. q. 62. art. 4. satis clare distinguit has duas damni species, & utrumque damnum reparandi obligationem esse docet. Quod attinet alteram quæstionem, si Lævius necdum actu constituit pecuniam suam negotiationi committere, & id faciendi modo desit occasio, non potest stipulari aut reciperi aliquod interesse pro summa Danieli mutuo data vel danda : lucrum enim cessans juxta eundem S. Thomam 2. 2. q. 78. art. 2. ad 1. solum tunc est legitimus titulus recipiendi census ex mutuo, quando lucrum est probabile aut moraliter certum, non dum est tantum possibile & aduc valde remotum. *Pontas.*

CASUS XXIX. Agnanus habet ducentos imperiales, quos ad emendas destinavit merces, e quibus probabilis 7. aut 8. florenos pro centum lucraturus est : præter hanc summam aliam insuper habet priori similem, cujus partem unam destinavit pro dote suæ filię nubili, alteram vero partem reservat in fortuitos casus suæ familïe. Ast a Balduino, suo amico rogatus, ut sibi ducentos mutuet imperiales, quærit, an tuta conscientia titulo compensationis damni possit quidquam exigere ultra sortem principalem, nimirum juxta proportionem lucri cessantis, licet totidem imperiales adhuc in arca reclusos & otiosos habeat.

3. Destinatio pecuniæ ab Agnato reservatæ in arca prudens & legitima est ; hinc a Balduino summam proportionatam exigere potest ultra sortem principalem ; nam Agnanus in præsentis casu ducentos solum imperiales commercio destinatos habere censendus est. *Pontas.*

CASUS XXX. Landulfus ex suis, quos habet, 1000. imperialibus lucrum recepturus, eos obtulit Luciano gemmario, qui illos titulo societatis accepit, & Landulfo spem facit lucri 200. florenorum singulis annis percipiendi, de quo moraliter certum se esse affirmavit. Verum Landulfus varia societatis incommoda evitare cogitans dedit 1000. impe-

ria-

riales Luciano mutuos, & solum 75. florenos singulis annis pro censu solvendos exigit, una cum assecuratione suæ summæ. An hæc conventio usuraria est ?

3. Ista conventio certo est usuraria : quamvis etiam Landulfo liceret percipere honestum aliquod lucrum e sua pecunia, si eam in societate locaret, ejusque dominus remaneret, ac cum socio periculum negotiationis subiret ; non tamen potest ex dicta pecunia lucrum percipere, si eam mutuam dat Luciano ; mutuarius enim sit dominus mutui, & omne periculum fortis sufferre debet. S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 2. ad 5. *Pontas.*

CASUS XXXI. Petrus dedit Renato mercatori in Indiam navigaturo 5000. florenos hac conditione. 1. Quod si navis Renati casu fortuito quocunque pereat, jactura totius summæ mutuatæ sit ferenda Petro. 2. Lucrum & damnum e dicta summa proventurum utrique sit æqualiter ferendum. Verum Petrus commercii penitus ignarus paucis post diebus proponit Renato, se contentum fore 15. aut 20. florenis pro centum, si in eventum prosperæ navigationis summa capitalis assecuretur, sibi autem omnia perire, si navis pereat. Renatus libenter acceptat hanc conditionem, cum sic nemini rationem reddere teneretur negotiationis suæ & centum pro centum lucraturum se speraret. Estne usurarius hic contractus ?

3. Distinguendum est duplex periculum : unum est mutuo *intrinsecum* & ab eo inseparabile, quale datur in mutuo, facto pauperi aut illi, qui non est solvendo, aut jam pene ad incitas redactus : alterum periculum est mutuo *extrinsecum*, ab eo separabile, ut dum mutuum sit diviti. Primum periculum nunquam constituit titulum legitimum percipiendi lucrum ; sed ratione secundi periculi potest percipi lucrum. Hoc supposito, si periculum Petri mutuo est *intrinsecum*, non potest percipere ullum lucrum ex suis 5000. florenis ; & juxta quosdam Authores allegantes Decretalem Gregorii IX. Cap. *Naviganti*. fin. Lib. 5. Tit. 19. in hoc casu periculum mutuo est *intrinsecum*. Hoc tamen non obstante videtur periculum esse *extrinsecum*, & a mutuo separabile, ac consequenter Petrum in præsentis casu condemnari non posse de usura ; dummodo 1. principalis intentio Petri non sit præcise lucranda ratione mutui, & Renatum non urgeat ad suscipiendum periculum summæ capitalis, sed ipse Renatus se ad hoc offerat, ut sic evitet rationem reddendam de suo commercio 2. Dummodo Petrus non percipiat nimium lucrum causa mutui, sed solum proportionatum periculo, cui se exponit. Ita sentit S. Antoninus 2. part. Summ. Theol. Tit. 1. cap. 7.

X x 3

S. 18.

§. 18. Conventio Petrum inter & Renatum inita nil aliud est, quam venditio sperati lucri, quod utique injustum non est. Immo ejusmodi conventionem Petrus potuisset facere etiam cum quodam tertio absque omni usuræ periculo: lucrum enim ex utriusque parte incertum, & spes lucri pariter utriusque æqualiter appreciabilis est. Incertitudo igitur ejusmodi conventiones reddit justas ac licitas. *Pontas.*

NOTA. Etiam periculum intrinsicum est pretio æstimabile erga personas, quarum gratia quis non tenetur subire periculum specialiter ex lege charitatis.

CASUS XXXII. Faronias timens, ne navis perlerit, cui in Indiam abeunti varias merces credidit, quarum valor ad 10000 imperiales ascenderat, totam summam vendidit Radulfo pro 9000. florenis. At elapsis octo mensibus navis felici cursu rediens Radulfo ultra 10000. imperiales attulit adhuc lucrum 50. pro 100. An Radulfus summam una cum lucro recipere potest absque usura?

§. Potest Radulfus totam summam 10000. imperialium una cum lucro retinere, quia justo pretio eam emit, & periculum naufragii, aut alterius infortunii in se suscepit. *Pretio rerum*, ait lex *Pretia*. 63. ff. Lib. 35. Tit. 2. non ex effectu, nec utilitate singulorum, sed communiter finguntur. *Pontas.*

CASUS XXXIII. Eustachius timens, ne navis sua una cum mercibus in Hispaniam transvehendis naufragio pereat, aut ab hostibus auferatur, obtulit Martino lucrum 10. pro 100., si mercium suarum affecurationem præstaret. An tale commercium absque usura fieri potest?

§. Legitimum est ac licitum hoc commercium; quia Martinus in se suscipit periculum. *Licitum reputatur tale lucrum*, ait S. Antoninus 3. part. Summ. Theol. Tit. 8. c. 3. §. 1. ratione periculi, quod subiit: nec enim potest dici, ibi esse mutuum; cum nihil mutuetur: nec lucrum turpe; cum nec inveniat prohibendum. *Pontas.*

CASUS XXXIV. Godardus mutuavit Nemesio 100. imperiales ad annum hac conditione, ut si illos ad constitutum terminum non restituerit, duos aureos ultra dictos 100. imperiales solvere teneatur. An in hoc casu datur usura?

§. Juste Godardus recipere potest duos aureos, si Nemesius ad constitutum terminum non solvat mutuo datum; si 1. Godardus hanc conditionem apponendo pure ac simpliciter solum intendit debitorem ad exactam solutionem permoveere. *Notandum*, inquit Innocentius IV. in Cap. *Suam*. 9. Lib. 5. Tit. 37. *pœnam impositam ex conventionem partium licere exigere;*

gere; dummodo intentio sit recta, scilicet ut pareatur placitis, & non ad usuras vel lucrum. Sed secus esset, si pœna esset apposta in fraudem. 2. Si debitor culpabiliter distulit solutionem, id est, si potuisset solvere, & tamen sine ex malitia, sive ex negligentia, sive ex alia culpa non solvit. Nihilominus semper timendum, ne in ejusmodi contractibus mutui cum adjunctione pœnæ initis concurrat saltem intentio usuraria. *Pontas.*

CASUS XXXV. Germanicus magnificum apparatus simulaturus vasa aurea a Scipione sibi commodari petit, simulque ipsi tres aureos pro isto servitio offert: adhuc ab eodem Scipione petit mutuari sibi marsupium 300. aureis referendum, ut se coram aliis, quibuscum ipsi negotium quoddam perficiendum est, divitem ostendet, & pro hac commodatione offert Scipioni 6. aureos. An Scipio oblatos aureos retinere potest?

§. Proprie loquendo potest eos retinere; nam non mutuo dat vasa aurea, & marsupium, sed locat, & eorum usum vendit, & sic eorum dominium sibi reservat; hinc Germanicus eadem vasa & idem marsupium restituere Scipioni tenetur; & si omnia hæc perirent, damnum solus Scipio sufferere deberet, si casu fortuito, ac sine culpa Germanici perirent. Ita S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 1. ad 6. Verum ne Scipio peccati reum se faciat, cavendum, ne pretium locationis sit nimium, sed juxta æstimationem viri prudentis proportionatum usui rerum commodatarum. In eo autem Scipio peccatum vix effugiet, quod locando ejusmodi res ad vanitatem ac ostentationem, vel omnino ad fraudem locatarii cooperatus fuerit. *Pontas.*

NOTA. Mirum est, quod hi Authores in commodato, quod usu non consumitur, ratione periculi admittant compensationem; in mutuo autem, quod usu consumitur, & cujus valor ratione periculi minuitur, nullam admittant. Videtur potius in commodato rerum, quæ usu non deteriorantur, nulla admittenda compensatio, sed tantum contractus affecurationis.

CASUS XXXVI. Robertus, qui notorie ex meris ac quotidianis usuris suas sibi pecunias coacervavit domum extructurus est. An operarii tuta conscientia, & quin ad restitutionem teneantur, diurnam mercedem recipere possunt, licet sciant, eam non nisi ex injusto provenire commercio Roberti?

§. Author opusculi 75. de usuris D. Thomæ adscripti existimat, operarios non peccare, si alteri operam suam locandi desit occasio; peccare autem eos, si non urgeat necessitas laborum suorum mercedem querendi apud hunc usurarium. *Pontas.*

CASUS XXXVII. Philometor 5000. florenos pro majori securitate deponit apud Samuelem notorium usurarium. Num licete?

ꝛ. Si hanc summam deponit ea intentione, ut Samuel commercium suum usurarium commodius aut latius exercere possit, usurae se reddit participem, & peccat. Si vero ex solo motivo majoris securitatis deponit, non peccat. Ita S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 4. ad 3. Consultius fieret, si Philometor pecuniam suam apud alium deponeret, aut si alium non sciat, Samueli depositum traderet obignatum, aut in arcula obferata, clavemque apud se retineat. Denique si Samuel depositum hac ratione recipere renueret, & hac praecautio- ne quasi quadam diffidentia offenderetur, & Philometor rationaliter crederet, eum utpote propriis pecuniis abundan- tem alienis non indigere, ac consequenter deposito haud abu- surum, absque peccato posset Samueli pecunias suas custo- diendas tradere, etiam nulla adhibita praecautio. *Pontas.*

CASUS XXXVIII. Maglorius, vir opulentus mutuavit Sylvestro nummulario 6000. florenos ad annum, recepto ab eo simplici syngrapha. Per decem jam annos Maglorius a Sylvestro annuatim accepit censum 300. florenorum, Sylve- stro nimirum syngrapham toties renovante. Jam autem sum- mam mutuo datam repetiturus ipsi litem intentat, quo fa- ctum, ut Sylvester a iudice condemnatus post lapsum anni summam principalem una cum censu 300. florenorum Maglorio restituere debuerit; ac consequenter Sylvester spatio undecim annorum solvit censum 3300. florenorum. Symphorosa uxor Maglorii bona habens cum marito communia, & lu- cro illius usurario insensissima quaerit, quid sibi agendum non solum modo sub potestate mariti constitutæ, sed & post ejus obitum?

ꝛ. Certum est, Maglorium indispensabiliter obligari ad re- stitutionem 3000 florenorum, census nimirum intra decennium percepti; & cum perfoluto hoc censu summa principalis de- creverit ad 3000. florenos, vi sententiae judicialis anno abhinc obtentæ solum ipsi debebatur census 150. florenorum, idque solum in suppositione, quod hæc sententia fuerit bona fide obtenta. Symphorosa vero uxor vivente marito non tene- tur restituere, nisi ultro ex parsimonialibus legitimis id ve- lit, & certo sciat, maritum non restitutum. Si uxor mo- riatur ante maritum, tenetur ex iustitia per testamentum ca- vere, ut ex sua portione fiat restitutio pro ratione accepti, scilicet partis dimidiæ censuum usurarie perceptorum. Ast si marito superstes foret, ocyus teneretur ad hanc restitu- tionem, si communionem bonorum acceptaverit. Denique

fi

si Sylvestre vera necessitate negotiorum suorum coactus hanc summam pro censu annuo mutuam accepit, ipsimet facien- da est restitutio; si vero id factum ad fovendum luxum aut explendam libidinem, juxta S. Thomam 2. 2. q. 62. art. 5. ad 1. restitutio fieri debet pauperibus. *Pontas.*

NOTA. Cessant omnes ejusmodi difficultates, si pro titulo excusante admittatur periculum sortis, quale circa nummularios plerumque verisatur.

CASUS XXXIX. Polixenes mercator, cum intra biduum quandam summam alteri solvere teneretur, ipsique pecunia deesset, Metellum rogavit, ut sibi mutuet summam necessa- riam illique offert sex pro centum census loco. An peccat Polixenes?

ꝛ. Si Polixenes scit, Metellum esse usurarium, non pec- cat: licite enim potest ex peccato alieno intendi bonum ali- quod praesertim urgente necessitate. Verum si Polixenes scit, Metellum non esse deditum usurario commercio, pec- cat: quia ipsi ansam praebet committendæ usurae. S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 4. C. *Pontas.*

NOTA. In mercatoribus plerumque reperitur majus periculum amitten- dæ sortis, cujus valor juxta incrementum periculi decrevit.

CASUS XL. Pantaleon gemmarius in quadam extraor- dinaria occasione ratione sui gemmarum commercii pecunia indigens dubitat, an mutuum petere licite possit ab iis, quos usurarios esse novit?

ꝛ. Censeo, Pantaleonem posse licite petere mutuum ab usurario publico, si aliunde pecuniam, qua indiget, acquirere non possit; dummodo ipsum directe ad usuram non indu- cat. Ita S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 4. C. ad 2. Verum Theo- logi non conveniunt in determinando gradu necessitatis, an nimirum debeat esse extrema, aut gravis, aut necessitas de- centiæ status, v. g. mercatoris, qui suum commercium exer- cere non posset, nisi mutuum acciperet sub conditione sol- vendi census; & hanc necessitatem major pars sufficientem existimat & excusantem a peccato. Hinc Pantaleon abs- que peccato ab usurario mutuum petere ac censum solvere potest ratione necessitatis decentiæ status, id est, sui com- mercii. *Pontas.*

NOTA. Eum solvere posset titula solius periculi, quod in gemmariis fre- quenter reperitur.

CASUS XLI. Si vero in priori casu Pantaleonem non urgeat necessitas mutuandi ab usurario, sed solum id agat eo sine, ut augeat suum commercium, & sic splendidius vive-

re possit. An absque peccato mutuum petere potest ab usurario?

¶ Dicitur potest, quod, si Pantaleon scit, illum, a quo mutuatur, revera usurarium exercere commercium, non possit absque peccato mutuum ab eo; cum ipsius intentio mala sit, & ejusmodi mutuum excusare non possit, ut S. Thomas ibidem docet. *Pontas.*

CASUS XLII. Sigebertus pecunia indigens emit a quodam gemmario duos adamantes pro 3000. florenis intra annum solvendis; at Sigebertus mox istos adamantes eidem gemmario iterum vendidit pro 2750. florenis mox in parata pecunia solvendis. An iste contractus usurarius est?

¶ Contractus iste, qui dicitur proprio nomine *Mohatra*, licet palliatus sub specie emptionis ac venditionis, juxta S. Antonium 2. part. Summ. Theol. tit. 1. c. 8. §. 3. usuram continet manifestissimam; & hinc merito a Concilio Mediolanensi l. 1565 & ab Innocentio XI. 1679. proposit. 40. proscriptus est. *Pontas.*

CASUS XLIII. Germanus parochus ex fama novit, Rupertum parochianum usuraria exercere commercia; quod tamen hic in confessione paschali interrogatus negat. Cum autem parochus ex test. monis fide dignis id se didicisse diceret, & Rupertum ad exhibenda negotiationum suarum instrumenta adigeret, hic parere recusat. An deneganda ipsi est absolutio?

¶ Non potest denegari; quia, ut D. Thomas docet Quod. 1. art. 12. C. *In foro judiciali creditur homini contra se, sed non pro se; in foro autem poenitentiae creditur homini pro se & contra se.* Cum fama, & vaga testimonia quandoque ex invidia vel odio proficiscentia ad convincendum non sufficiant, poenitenti potius est credendum quam incertis testibus, qui saepius passionibus aut levibus ducuntur indicibus. Neque parochianus tenetur parochi exhibere libros suos commerciales; quia plerumque multum interest, ut negotia domestica maneant occulta. *Pontas.*

CASUS XLIV. Quidam mercator rogatur, ut summam quamdam pecuniae velit accipere, ac pro ea censum dare.

¶ Absque peccato talis petitio fieri non potest; nec etiam mercator eam acceptare, nisi iusta adit necessitas. *De Lamet. Vide cas. 39 40. 41.*

CASUS XLV. Tutor pecuniam sui clientis minorennis mutuum dare ad censum cogitat.

¶ Non potest id facere, multo minus censum census accipere; & si tali modo egit, tenetur ipse e propriis bonis restituere census usurarios. *Fromageau. Vide notam praeratae appositam.*

CA-

CASUS XLVI. Quidam vir census usurarios recepit, & hos restituere renuit praetendens, se tales census jam a 30. annis non amplius recepisse, & se illos tunc recepisse ideo; quia credebatur, non esse prohibitum ejusmodi census percipere.

¶ Praescriptio non habet hic locum, & sola bona fides non potest eam reddere validam. Non potest accipi census vi mutui, nisi contra debitorem bona fide & sine fraude quis obtinisset decretum, quo ad solvendum censum cogeretur. *Fromageau.*

NOTA. Sufficit loco decreti praxis omnium aut lex, quibus in titulum recipitur periculum sortis.

CASUS XLVII. Titius mutuavit Fabio 5000. florenos, & Fabius simplicem syngrapham dedit Titio, in qua Fabius profitetur, se debere Titio 5250. florenos, id est, una cum anno censu quot annis solvendo.

¶ Titius reus est usurae, & graviter peccavit, si scivit, tale mutuum esse usurarium, aut si dubitavit, in veritatem indagare neglexit. Verum si Titius id ignoravit, & scire non debuit, non est obligandus ad restitutionem illius, quod consumpsit, sed tantum illius, quo ditior factus est. Si denique bona fide non egit, tenetur restituere omnia sub poena denegandae absolutionis. *De Lamet.*

CASUS XLVIII. Quidam mercator jam a longo tempore pecunias suas emendis variis per mare advehendis mercibus impendens rogatur a suo amico, ut ipsi quamdam summam mutuum dare velit pro censu a legibus provinciae suae permissio. Potestne mutuum dare?

¶ Lucrum cessans est sufficiens titulus, vi cuius possit accipi census pro mutuo data pecunia alias in commercio fructificatura; supposito 1. quod aliam pecuniam pro suo commercio non habeat mutans. 2. Quod mutans mutuatario asseverarit, se censum exigere ad compensandum lucrum cessans. 3. Quod ante constitutum terminum censum non exigat; & censum proportionatum lucro, quod ipsemet in suo commercio percipere potuisset, deductis tamen deducendis petat. *Fromageau.*

CASUS XLIX. Titius in contractum pignoratitium sinulatum.

¶ Talis contractus est usurarius, & est revera mutuum, de quo non potest percipi ullum lucrum, nisi in casu damni emergentis & lucri cessantis. *De Lamet.*

NOTA. Adde; & interveniente periculo sortis.

CA-

CASUS L. Proxenetæ jura sua quoad salaria negotiorum suarum excedunt, exigentes ultra id, quod legibus taxatum est. An licite?

ꝑ. Committunt injustitiam, & tenentur restituere excessum. *De Lamet.*

CASUS LI. Tutores ac curatores mutuas elocant pecunias pupillorum ac clientum suorum pro annuo censu. Num juste?

ꝑ. Tutoribus non licet ex pecuniis pupillorum mutuo datis lucrum percipere; quia quidquid lucri est ex mutuo, usura est. Dei lege expresse prohibita. *De Lamet.*

CASUS LII. Silius locat gregem pecorum Miloni ea conditione, ut semper sibi salva esset fors, & dimidia lucri pars, undecumque demum damnum acciderit. An hic contractus non est usurarius?

ꝑ. Est usurarius: locans enim semper in se suscipere debet damnum ex casu fortuito, improvise, ac per industriam humanam inevitabili emergens; locatarius vero solum tenetur ferre damnum ex sua ipsius culpa proveniens. *De Lamet.*

CASUS LIII. Titius indigens summa 10000. florenorum rogat Sempronium, ut eam sibi tribuat non sine annui census constitutione. Assentitur Sempronius, sed ea conditione, ut Titium ad reddendam sortem adigere possit, si per continuum biennium constitutum censum pendere moretur. Licetne tuto conscientia sic contrahere?

ꝑ. Contractus iste salva conscientia fieri non potest: non est enim verus contractus constitutionis census, sed mutui, ex quo Sempronius lucrum percipit, & consequenter usuram committit. *De Lamet.*

NOTA. Si concurrat titulus, non est usurarius, esse utrinque redimibilis.

CASUS LIV. Simon mercatori mutuos dedit 25000. florenos in negotiationem referendos hac conditione, ut elapso quinquennio eos restituat una cum censu quinque pro centum. Num licite?

ꝑ. Peccatum usuræ commisit, teneturque restituere omnes census perceptos. *Fromageau.*

CASUS LV. Alii admittunt contractum triplicem ut licitum, alii eum rejiciunt ut usurarium. Quid sentiendum?

ꝑ. Contractus triplex de se non videtur illicitus; cum in res peculiares contractus distingui possit, quorum quilibet separatim citra omnem injustitiam iniri potest. Verum in praxi

praxi ordinarie usurarius est, & fere nunquam nisi ad palliandam usuram adhibetur. *Fromageau.*

CASUS LVI. Seleucus ex sua pecunia lucraturus præfectum cambii adiit, qui eum ad thesaurarium Principis direxit; & hic ipsi promisit, se post triennium sortem principalem una cum censu triennali pro taxa Principis redditurum. An in hoc casu usura intervenit? Num & præfectus cambii usuræ particeps est?

ꝑ. Ni bona fides Seleucum excuset, usuram commisit. Præfectus cambii non peccat quidem, dum indigentibus pro sua necessitate mutuo prodit usurarios ex mutuo lucrum quærentes; peccat autem semper, dum in gratiam usurariorum inquiri in indigentes; id cum in præsentem casum factum sit, præfectus cambii usuræ se reum constituit. *Fromageau.*

NOTA. Majus plerumque periculum sortes principales incurrunt in ærario Principum, quam privatorum. Titulus autem periculi sortis excusat ab usura.

CASUS LVII. Miletus mercator 3000. florenos, cum eos in commercio collocandi occasionem non inveniret, mutuos dat Cuspicio cautionem præstanti, quod elapso triennio dictam summam una cum censu quinque pro centum restitutus sit.

ꝑ. Recipiendo censum absque dubio usuram committit. *Fromageau.*

CASUS LVIII. Sulpitius civis Parisiensis lucrum percepturus ex 5000. florenis, quos in præsentem pecunia possidebat, adiit præfectum cambii, qui hanc summam accipiens cambiales illi litteras tradit, vi quarum Lugduni æqualem summam esset recepturus; Lugduni vero alias denuo accepit litteras, quibus exhibitis præmemoratam summam acquisiturus esset Parisiis: interim tamen præfectus cambii faciendas impensas & censum annum ipsi solvit. An de usura suspecta est hæc agendi ratio?

ꝑ. Affectatus hic circuitus, quo pecunia in orbem agit, Parisiis Lugdunum, Lugduno denuo Parisios, nil aliud est quam speciosum artificium, quo tegitur mutuum, & conscientia turpiter fucus fit. Hinc omne lucrum ex hac pecunia perceptum injustum est ac restitutioni obnoxium. *Fromageau.*

CASUS LIX. Emericus ad commercium maritimum mercatoris cujusdam exponit ingentem summam tanquam mutuum, omneque ejusdem periculum in se suscipit; hac tamen conditione, ut & lucri particeps fiat. Num juste?

¶. Conventio hæc non videtur habere rationem mutui; quia mutans non transfert dominium summæ in mutuatarium, quod tamen in vero mutuo fit. Hinc potius est contractus societatis, in quo lucrum percipi potest; in mutuo autem lucrum quærere usurarium est. *De Lamet.*

NOTA. In commercio maritimo semper concurret periculum fortis qui titulus lucrum legitimum etiam in mutuo concedit.

○ CASUS LX. Consuetudo Polonorum est a mutuuario pignus recipiendi cum censu annuo; eo quod pene impossibile sit hypothecas in bonis immobilibus obtinere.

¶. Consuetudo hæc est inexcusabilis: defectus enim hypothecæ non est sufficiens titulus ad capiendum ex mutuo lucrum. *De Lamet.*

CASUS LXI. Cabasius pater duarum filiarum in testamento hæredem instituit nepotem, filiabus autem solam legitimam assignavit, septimam circiter bonorum suorum partem. Tenenturne filie inquirere, an non pater contractus usurarios inierit?

¶. Non tenentur; incumbit autem hæc inquisitio instituto hæredi. Si tamen hæredis portio non sufficeret ad restituenda omnia lucra usuraria defuncti testatoris, etiam filie tenerentur contribuere pro ratione partis obtentæ. *Fromageau.*

CASUS LXII. Davus debitor condemnatus est ad solutionem census; eo quod tempore constituto summam principalem non solverit. Potestne creditor salva conscientia hunc censum acceptare?

¶. In hisce circumstantiis licite percipit censum. Verum si mala fide egisset, & jam tunc, dum mutuum dederat, intentionem habuisset obtinendi censum, & quidem per sententiam iudicis, usuræ reus foret. Certe si iudices nosset, debitorem ac creditorem inter se collusisse, non solum huic censum non adjudicarent, sed potius eum mulctarent ut usurarium. Lucrum ex mero ac puro mutuo neque ex obtinendæ solutionis facilitate, neque ex utilitate purgari potest, quæ inde in commercium redundat. Qui bona fide census perceperunt, quos iudicum & confessorum autoritate nisi permisos existimabant, tenentur eos restituere, ex quibus ditiores sunt effecti, non autem illos, quos in eadem bona fide consumserunt. Si autem mala fide egerunt, tenentur omnes restituere sine exceptione. *De Lamet.*

CASUS LXIII. Magistratus censum ex mutuo tolerat. An non mediante hac autoritate usura redditur licita?

¶. Nec consuetudo, nec quæcumque demum autoritas usuram efficere potest licitam. *Fromageau.*

CA-

CASUS LXIV. Hæredes si sciunt, testatorem quandam certam summam debere, tenentur eam solvere; cum tamen ante suum obitum de hoc debito ipsis nec verbum dixerit?

¶. Tenentur solvere debitum defuncti, non tamen tenentur solvere censum, supposito, quod dilatio solutionis creditoribus non intulerit damnum: alias enim tenerentur & solvere census. Hæres solum tenetur restituere pro rata hæreditatis acquisitæ. *De Lamet.*

CASUS LXV. Vidua renunciavit communioni bonorum, quam cum suo marito habuit. An nihilominus tenetur ad restitutionem censuum usurariorum nomine sui mariti perceptorum?

¶. Tenetur eos restituere; & non excusatur ex eo, quod timuerit, ne viro suo displiceat, & quod eos perceperit ipsius absentis quandoque iussu. *Fromageau.*

CASUS LXVI. Titius, cum Cajo suam domum venderet, dixit: trado tibi meam domum pro 1000. imperialibus, si mihi statim hanc summam solvas; si vero primum post annum solvere velis, domum non tradam nisi pro 1050. imperialibus.

¶. Si summa 1050. imperialium non excedit justum pretium domus, contractus erit licitus; si vero domus in summo pretio æstimata tantum 1000. imperialibus appretiat, & Titius alium justum titulum non habet exigendi 1050. imperiales quam dilationem solutionis, contractus est usurarius, S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 2. ad 7. C. B.

CASUS LXVII. Princeps taxam posuit frumenti; mercator autem quidam vendit suum frumentum carius quam taxa Principis licet.

¶. Si frumentum mercatoris non est melioris qualitatis quam frumentum a Principe taxatum, mercator peccat contra iustitiam; quia pretium a Principe præscriptum pro justo ac rationabili pretio habendum est. At si frumentum dicti mercatoris notabiliter melioris qualitatis est, mercator non agit iniuste. Idem dicendum esset de frumento peioris qualitatis frumento ordinario a Principe taxato, quod utique minori vendi posset pretio, quam quo a Principe taxatum est. C. B.

CASUS LXVIII. Petrus, cum domum ædificare cepisset, ac eam consummare non potuisset, mutuavit pecuniam pro censu; quia alia ratione non potuisset acquirere pecuniam.

¶. Po.

ꝑ. Potest id facere: nam sicut mutuum petere de se est res indifferens, & ex sua natura licita, sic etiam possunt petere mutuum ob iustas rationes, licet mutuum dans ex hoc occasionem sumat peccandi. Dein sicut motivum ædificandæ domus est legitimum, sic etiam in casu, quo Petrus alio modo totaliter ædificium domus perficere non posset, nisi mutuum accipiat pecuniam pro censu, licitum est mutuum petere pro censu. C. B.

CASUS LXIX. Cajus mutuavit Petro mense Maio decem modios tritici hac conditione, ut Petrus mense Augusto mutuet Cajo decem mensuras vini, quo Petrus perbene provifus est. An iste contractus usurarius est?

ꝑ. Est usurarius: nam juxta regulam generalem omnis conditio onerosa mutuo extrinseca, si mutuo additur, contractum usurarium facit. Hinc Cajus, qui talem contractum cum Petro fecit, usuræ reus est; quia obligatio, quam Petro imposuit, pretio æstimabilis est. C. B.

CASUS LXX. Cajus cum Petro quandam pecuniæ summam mutuasset, se obligavit, se eam non repetiturum ante triennium. Verum cum prævideret, durante triennio damnum aliquod sibi fore sufferendum, aut lucrum quoddam fore perendum ob defectum pecuniæ mutuo datæ, petit a Petro censum, nimirum 3. pro 100.

ꝑ. Potest censum petere absque usura: nam titulus, vi cuius censum petit, est totaliter extrinsecus mutuo, & hinc sufficiens, ut possit exigere censum; præsertim si Petrus se non vellet obligare ad compensationem damni a Cajo sufferendi, aut lucri perdendi. C. B.

CASUS LXXI. Petrus mutuans Joanni 100. imperiales se obligavit, se eos intra biennium non repetiturum. Potestne vi hujus saxe obligationis aliquid ultra summam principalem exigere?

ꝑ. Non potest: id ipsum enim damnatum est ab Alexandro VII. in propositione quadragesima secunda. Ista Petri obligatio nil aliud est quam prolongatio mutui, aut novum virtualiter mutuum, pro quo non potest quidquam accipi, sicuti nec pro formali mutuo. C. B.

CASUS LXXII. Petrus tradidit Cajo 100. oves, quas æstimari fecit, & cum Cajo convenit, ut Cajus, quando oves vendit, restituat Petro juxta æstimationem in traditione ovium factam, interea usquedum eas vendat, lana, & lacrum ex eis a Cajo factum inter se dividatur,

ꝑ. Iste

ꝑ. Iste contractus est usurarius, nam in eiusmodi contractibus omne periculum sufferendum est illi, qui sortem principalem tradidit, nisi novo contractu assicuracionis alius periculum subire debeat, hinc cum in proposito casu novus contractus assicuracionis non detur, contractus erit usurarius. C. B.

CASUS LXXIII. Titus emit domum hac conditione, ut summam pro ista domo persolutam, si sibi ita placuerit, possit repetere, & tali modo domum restituere.

ꝑ. Iste contractus est validus; quia non existat lex prohibens, ne in emptione addatur conditio venditori onerosa, & emptori favorabilis, si onus venditori impositum compensetur pretio majori. Talis igitur contractus non est usurarius. In præsentem etiam casu non agitur de simplici mutuo, sed de vera emptione; hinc si domus periret; emptori periret, pariter & redditus, si qui e domo provenirent, emptori provenirent. C. B.

CASUS LXXIV. Quidam mercator non habens merces, quas quidam ab illo emere cupit, simulat se eas habere; interea adit vicinum suum, & ab eo pro 9. florenis desideratas merces emit, easque pro undecim florenis vendit petenti.

ꝑ. Lucrum istud licite percipere potest; supposito tamen quod non excedat iustum pretium mercium dictarum. C. B.

CASUS LXXV. Callistus indigens mille florenis censum constituit in prædio triginta dumtaxat florenos reddere solito, & obligat se ad dandos quotannis alios decem aut viginti, quos ex industria sua lucraturum se sperat. Estne licitus hic contractus?

ꝑ. Est illicitus; quia ex parte fundatur in persona: Bulla autem Pii V. *Cum onus*, declarat omnes contractus usurarios, qui non penitus fundantur in re immobili. C. B.

NOTA. Bulla S. Pii V. disponit pro statu Ecclesiastico. Censum æquus constitui potest in officio vel industria personæ, ac in re immobili; nam quia cessante officio vel industria deficit titulus exigendi censum, hoc ipsum periculum amittendi officii vel defectus virium præbet titulum exigendi auctarium sortis.

USUSFRUCTUS.

1. *Ususfructus* vocatur jus, quo quis gaudet, utendi ac fruendi re aliqua, cujus proprietate ad alium pertinet. *Ususfructus*, ait lex, est jus alienis rebus utendi, fruendi, salva rerum substantia. Dicitur i. *Jus*, id est, legitima potestas, qua

Dist. Cas. Cons. Tom. III.

Y y

qua